

CAPUT XXIX.

QUOMODO ANIMA DEVOTA
DEUM in suis beneficijs ut ipsam &
profusissimam benignitatem
contempletur.

I. Joan. 4. *In hoc apparuit charitas
Dei in nobis, quoniam Filium su-
um unigenitum misit Deus in-
mundum, ut vivamus per eum.*
*In hoc est charitas: non quasi nos
dilexerimus Deum, sed quoniam
ipse prior dilexit nos & misit Fi-
lium suum propitiationem pro
peccatis nostris.*

OMNIA quæ Deus homini immit- *Omnia*
tit, sive prospera sive adversa, *opera M*
hoc unum spectant, ut homo ab *Dei spe-*
illo mundo aversus & alienatus, in gra- *ctans*
tiam cum eodem revertatur. Verū quæ *hominis* *conver-*
hominis belluina ignorantia & stulti- *sionem.*
tia est, sicut beneficiorum causam non
intelligit, nihil minus cogitans quā eo
fine in se illa conferri, ut his illecebris
in amorē divinū pertrahatur: ita neq;
pœnis Deum hoc unū agere animad-
vertit, ut ad ipsum redeat & converta-
tur. Videam⁹ primum de corporalibus
bene-